

7

# JUS PRINCIPIS

CIRCA

# FERIAS SACRAS

SUCCINCTE EXHIBITUM,

quod una cum Positionibus subnexis

PRÆSIDE

P. ILDEPHONSO SCHMITZ,  
FRANCISCANO Ss. CAN. PROFESSORE PUBL. & ORD.

DEFENDET

PRÆN. D. JOH. WILHELM. NEUSS, DUSSELANUS,  
utriusque juris Auditor & ad S. Nicol. in Boslar beneficiatus

*DUSSELDORPII IN AULA ELECT. ACADEMICA*

3. Sept. a 2da pom. MDCCXCIX.

---

**P**rinceps tum jure cavendi, ne feriarum sacrarum multitudo Reip. noxia evadat, tum jure tuendi earundem observantiam pœnisque propositis urgendi antiquitus tantum utebatur *a*); sed statibus S. R. I. immediatis ex P. W. jus reformandi hætenus incognitum adscribitur novaque jurisdictio ecclesiastica *b*), quæ & involvit jus indicendi ferias sacras *c*), cui tamen limites ponunt tum libertas conscientiæ *d*), tum annus normalis *e*), tum etiam alicubi pacta specialia *f*).

*a*) Sic P.P. Conc. tol. III. C. 23. committunt & sacerdotum & judicum curæ ut irreligiosam consuetudinem in Sanctorum solemnitatibus *salvandi* extermine. Augustorum Imperatorum pietatem probat vel sola relatu dignissima Lex II. C. *de Feriis*: „Dies festos majestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut a cunctis executionibus excusetur: nulla quemque vigeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies a cognitionibus alienus, præconis horrida vox filescat, respirent a controversiis litigantes & habeant fœderis intervallum, ad sese simul venient adversarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec hujus tamen religiosi diei otia relaxantes obscœnis

„quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis aut circense certamen aut ferarum lacrymosa spectacula: & si in nostrum ortum aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur. Amissionem militiae proscriptionemque patrimonii sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse vel cujuscunque judicis apparitor praetextu negotii publici seu privati hæc, quæ hac lege statuta sunt, crediderit temeranda“.

Nec desuit tutrix Serenissimor. Principum nostrorum devotio abunde manifestata per renovatas 24. Julii elapsi ordinationes, ne feriæ sacræ durch Schwelgereien, Saufen, Spielen und sonstigen Ausschweifungen profanentur. Utinam utriusque potestatis harmoniam suavi & monitorum & exemplorum suorum concentu perficerent inferiores tam clerici quam officiales.

- b) Thema hoc contra sistematis collegialis patronos elaborarunt inter catholicos singulari diligentia cl. ANT. FRANCK in *Censura principii* & inter protestantes fecundissimus publicista J. J. MOSER latens sub nomine SINCERI in tract. die auf das allerbestgegründete Jurisdiction ecclesiastica katholischer Landesherren über ihre protestirende Unterthanen, quem contra de Mejern vindicavit in SINCERI gesammelte Widerlegung &c. sub nomine proprio suam firmat sententiam in den Abhandlungen aus dem deutschen Kirchenrecht N. I. & contra noviores adversarios stabilivit im Anhang, von der Landeshoheit im Geistlichen. Ex his scriptis elucet, quod gravamina protestantium ex novello sistemate collegiali nata nomen inanè portant, merito itaque scribit MOSER cit. N. I. in den Abhandl., daß die Katholische sich wenig darum bekümmern werden, wann unsere neue Theologen und Rechtsgelehrte von dem abgehen wollen, was alle evangelische Reichsstände bishero behauptet, und die ansehnlichste evangelische Rechtsgelehrte noch zu unserer Zeit gelehret haben. . . Die Katholische werden uns mit einem solchen neugeschmiedetem System auslachen.
- c) Ita J. H. BÖHMER in *J. E. Prot. ad tit. de feriis §. V.* „Cum negari nequeat, hoc jus indicendi, mutandi, & tollendi ferias ad jura circa sacra pertinere, quod princeps vi civilis imperii exercet, merito hoc jus circa dies festos ei quoque tribuendum, id quod etiam ipsa praxis ostendit“. Ita STRYCK in *us. mod. ad cit. tit. §. 3.* „Nullum superest dubium festorum ordinationem, pariter quoque eorundem translationem principibus imperii liberam esse, nec quisquam hoc in dubium vocabit, nisi qui præcipua sui parte, jure scilicet sacrorum, majestatem privare ausus fuerit“. Ex his sistemati territoriali omnino congruis fluit jus omnium statuum catholicorum subditis suis protestantibus ferias indicendi, ut Cl. NELLERUS & BOCRIS apud SCHMIDT in *Thesauvo rom. VI. N. XIX. & XXI.* fusius probant, quos non refutat ex norma legum minime disputans STRUBEN in der XVI. Abhandlung 3. Th. der Nebenstunden p. 81, ut patri suo hic dissentiens filius G. L. BÖHMER in *princip J. C. §. 284. (a)* notat. Ast ambo cl. viri sistematis collegialis morbo hodie tam communi laborant.


- d) Princeps proin august. confessionis subditis suis catholicis ferias sacras indicere nequit; hoc enim jus ex indole Imperii sacri & continua ecclesie catholice praxi apostolorum successoribus proprium est, contra quod nil solidi adfert *J. H. BÖHMER Tom. I Consult. Resp. XVIII.* Econtra cum ex Confessione august. *memoria Sanctorum proponi possit, ut imitemur fidem eorum & bona opera*, ipsique protestantes quedam festa colant, quin probent reprobata ab ipsis perutilem Sanctorum invocationem; princeps catholicus religionem & conscientiam subditorum protestantium non lædit, si ipsis ferias indicat, psalmis, precibus & concionibus secundum religionis sue principia celebrandas, potiori jure ipsis injungere poterit etiam in festis catholicorum abstinentiam ab operis servilibus, ut recte meditatur *CL. HENNIGES ad Art. V. §. 31, J. P. p. mihi 460, quem BÖHMER in J. E. Prot. loco cit. §. XI. inaniter refutat.*
- e) Cum Jus reformandi *Art. V. §. 30. P. W. vim regulæ, possessio vero anni normalis Subseq. §. 31. rationem exceptionis habeat; cum & hujus possessionis solus status positivus quoad religionis exercitium & annexa illæsus sit servandus, ut docet laudatus HENNIGES ad §. 33. l. c. lit. b. & n.*; videtur quidem, quod princeps catholicus abrogare nequeat ferias à subditis suis protestantibus in anno normali celebratas, novas tamen illæsa anni normalis possessione indicere poterit, multo magis salvo illo statu prohibere possit ipsis opera servilia; contrarium profecto non evincit *BÖHMER cit. l. Tom. I. Consult. Resp. VI. Q. VII.*
- f) Obtinet in unitis hisce territoriis ejusmodi Religionis recessus, cujus ob defectum actorum publicorum hunc tam antecedentium, quam subsequentium, tam facilis, uti quibusdam videtur, non est interpretatio. In hoc recessu *Art. X. §. 6. stabilitur Serenisf. Principibus nostris jus subditis suis protestantibus indicendi dies pœnitentiales & eucharisticos; jus vero prohibendi opera servilia in festis catholicorum limitatur tum Art. VIII. §. 9. tum vel maxime in dem Rheinberfischen Executions- und neben Recess de dato 7 & 10. Martii 1682; sed æquus legum interpres ultra terminos ibi positos id non extendet, sed eos exceptionum adinstar strictissime interpretabitur; non enim præsumendum, quod Serenisfimus noster jus sibi jam ex P. W. quæsitum ultra expressos in pacto limites sibi restringere voluerit: unde expressis contrarium non est Edictum de A. 1778, 25. Sept. in jülich- und bergischen wöchentlichen Nachrichten 1778. N. 40. Neque consultum videtur, ut gravaminibus, quæ semper tacite impugnant jus principis, faciles præbeantur aures; his enim etsi inanibus ad instantiam tamen subditorum gravantium sublati, vulnus quoddam juribus territorialibus facillime infligi poterit. — Akt! quomodo salvis catholicorum principiis, quæ omnino conformis est replica supremi Regiminis julio - montensis apud MOSER im Deutschen Staatsrecht 2. Th. p. 505. subditi in ducatu Clivæ & comitatibus Marchiæ & Ravensbergæ catholici ex cit. Art. X. §. 9., obligantur celebrare dies ejusmodi indictos à Srmo. Principe A. C. addito? Salva res est in Verbis §. cit., ein jeglicher nach seiner Religionweise, & salvatur ex analogia eorum, quæ circa dispensationem in matrimonii impedimenti §. 9., des neben Recess sunt statuta. Sufficiant hæc, plura tamen sciscitanti respondere parati sumus.*

P O S I T I O N E S  
EX UTROQUE JURE SELECTÆ.

1) Clerici non obstante fori privilegio reconveniri possunt coram iudice laico. 2) Nulla est bonorum eccl. alienatio ab ecclesia etiam in ecclesiam facta sine solemnitatibus. 3) His tamen omis-  
sis potest prælatus ob debitum legitime contractum in ecclesiæ bonis hypothecam constituere generalem. 4) Obligationi residendi non satisfaciunt beneficiati per residentiam mere localem. 5) Utraque potestas statuere potest impedimenta matrimonii. 6) Tortura legitime applicata tanto nostri temporis odio immerito torquetur. 7) Testamentum injustum ante militiam confectum, sola militia subsequente confirmari absque nova militis declaratione, asserit minus recte Vœtius ex L. 15. §. 2. ff. de mil. test.; hæc enim ex l. 9. §. 1. & L. 25. D. eod. explicanda est. 8) In Testamento parentum inter liberos si extraneus admisceatur, duo testes non sufficiunt contra Carpzovium. 9) Filius fideicommissio gravatus a Patre & legitimam & trebellianicam detrahit, etsi legitima sit semis. 10) In codicillo foemina testis esse nequit. 11) Obligatus ad faciendum non liberatur præstando interesse. 12) Pœnalis stipulatio non novat obligationem. 13) Actioni pignoratitiæ debito non soluto non potest præscribi.

O. A. M. D. G.





**TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007

| Blue        | Cyan        | Green       | Yellow      | Red         | Magenta     | White       | 3/Color     | Black       |
|-------------|-------------|-------------|-------------|-------------|-------------|-------------|-------------|-------------|
| Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch |
| Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch | Color patch |



| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | M | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | B | 17 | 18 | 19 |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|----|----|----|----|----|----|---|----|----|----|
|   |   | R | G | B |   |   |   | W | G |    | K  |    |    | C  | Y  |   | M  |    |    |

**TIFFEN® Gray Scale**

© The Tiffen Company, 2007